



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CLXV. De Expugnatione molendini Liefardi & morte plurium Civium  
de Elbingo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teut.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Pruss. Provinc.

Drusine. Et post modicam impugnationem incendio destruxerunt, captis omnibus & occisis præter eos qui navigio per Drusinam evaserunt: Posthac cum viderent sibi omnia ad votum succedere, accedentes ad Castrum (c) Wecrize situm supra Regovv fluvium, ipsum post longam & duram impugnationem & obfessorum virilem defensionem tandem in cinerem redegerunt, captis omnibus & occisis.

## A N I M A D V E R S I O N E S.

- (a) Propugnaculum illud appellat Jeroschinus *Ozzel*.
- (b) *Weiske* habet Jeroschinus. *Weiske* notissimus est iis in locis fluvius.
- (c) Apud Jeroschinum appellatur *Wentlitz* & postea *Wetlitz*. In Conditionibus pacis perpetuæ inter Casimirum Regem Poloniae & Ludovicum ab Erlichshausen Anno 1466. constitutis, appellatur Weklicz quod nomen & hodie retinet. Vid. Privilegia Prusiæ Ducal. fol. 21. b. Nunc est pagus Elbingensis ditionis ex Privilegio Regis Casimiri 1454.

## C A P . C L X V .

De

*Expugnatione molendini Liefardi & morte plurium Civium de Elbingo.*

A Nno Domini MCCLXXIII. Cum jam Sambitæ, Naestangi, Barthi & Warmienses fatigati laboribus & expensis se fidei & fratribus subdidissent, Pogesani adhuc in pertinacia sua permanentes, congregatum Exercitum suum circa Elbingum in quoddam nemus locaverunt, de quo (a) pauci equites exeuntes ante civitatem Elbingensem se ostentaverunt, quos Cives de Elbingo, qui continue circa se habebant arma reposita, sequentes, aliquos interfecerunt. Sed dum se cives sic sequendo nimis

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.*

*Conradus à Tierberg Senior IX. Magister Pruss. Prov.*

mis elongassent à Civitate, Pogesani, qui in Insidiis latitabant, exeentes, viam redeundi ad Civitatem occupabant; Quo facto Cives angustiati, non valentes tantæ multitudini in campo resistere, ascenderunt molendinum Liefardi, quod admodum Castri aliqualiter firmatum fuit. Accurrentes itaque Pogesani dictum molendinum acriter impugnaverunt. Sed cum Cives adhuc nimis fatigati fortiter se defenderent, pluribus ex utraque parte lassis, illi desistentes à pugna per tempus modicum quievserunt. Cum secundo vellent accedere ad pugnam Pogesani hortabantur Christianos, ut Castrum & se traderent in manus suas, alioquin omnes occiderent & delerent. Tandem intervererunt hæc pacta, ut Cives XXV. inter se potiores eis traderent, ut sic salvi alii permanerent. Quod cum factum esset, Pogesani rupto foedere pacis ad impugnationem iterum accesserunt, & quia jam Cives non habebat, quo se defenderent, illi opposito igne castrum cremaverunt, quo viso, quidam periculum ignis dum vellent evadere, occisi sunt, alii saltantes de igne in plures lanceas erectas per Pruthenos ceciderunt, reliqui sunt cremati. Tantus ibi sangvis Christianorum fusus fuit, quod (b) fluvius vicinus amissio colere naturali sanguineus apparebat: Refertur à pluribus fide dignis, indubitanter debet credi, quod dum hæc agerentur, quidam in moeniis Civitatis Elbingensis stantes ad spectaculum viderant cœlum apertum & ab Angelis introduci animas occisorum.

## ANIMADVERSIONES.

(a) XXIV. habet Chron. quodd. M. S. antiquum, ut notat Dominus Zamelius.

(b) Der Mölenfluss die Himmel genant. Dn. Zamelius.

Kk

CAP.

